

Unde : 1° Ille peccat, qui salutem sperat, vel propter propria merita, vel propter merita Christi, absque ulla cooperatione suorum operum¹. — 2° Item mortaliter peccat, qui ob spem veniæ inducitur ad peccandum, quia, v. g., Deus tam facile plura peccata quam unum ignoscit. Secus vero, si diceret se tam facile declaraturum in confessione plura peccata quam unum : quod per se non est nisi veniale². — 3° Præsumptionis proprie dictæ reatum non contrahit, qui peccat cum spe veniæ, ita ut hæc spes non sit motivum peccandi, sed peccatum comitetur tantum. — 4° Difficile excusantur a peccato gravi contra charitatem sibi debitam, qui perseverant in peccato sub spe aliquando pœnitendi, cum magno periculo damnationis se exponant³.

Animadvertendum est, cum peccato sive desperationis sive præsumptionis conjungi aliquando peccatum hæresis, v. g., si quis judicaret, ut Cain, suum peccatum esse irremissibile ; aut si quis per solas naturæ vires salutem speraret, sicut Pelagiani ; vel per solam fidem, sine operibus, ut Lutherani.]

1. S. Lig., lib. II, n. 21. — 2. Id., ibid. — 3. Id., ibid. ; *Homo apost.*, IV, 8.

TRACTATUS

DE CHARITATE

D. Thomas, a q. 23 ad q. 46.

DISSERTATIO I

DE CHARITATE SECUNDUM SE

D. Thomas, q. 23.

ARTICULUS UNICUS

Complectens omnia quæ spectant charitatem secundum se.

[Charitas dicitur etiam *amor*. Amor est inclinatio in bonum. Bonum enim propositum appetitui, quasi pondus ipsum movet et inclinat ad se, secundum notissimum Augustini effatum, lib. XIII *Confess.*, c. 9, n. 10 : « Pondus meum amor meus ; eo feror quocumque feror. » Ista inclinatio appetitus in bonum dicitur amor seu *complacentia*. Si sit cum electione unius boni præ alio, dicitur *dilectio*. Si sit boni quod magno pretio aestimatur, dicitur *charitas*. Si tandem sit cum redamatione, dicitur *amicitia*. Amor igitur latius patet quam dilectio, charitas et amicitia.

Amor est triplex : 1° Naturalis, quo unaquæque res etiam non cognoscitiva appetit bonum sibi conveniens, ut grave dicitur amare centrum. 2° Animalis seu sensitivus,

qui sequitur apprehensionem sensuum, et est etiam in brutis. 3° Rationalis, qui sequitur apprehensionem intellectus, et est iterum duplex, scilicet *concupiscentiæ*, qui tendit in objectum quod amatur; *benevolentiae*, qui tendit in personam cui amatur, et in hoc ultimo si quæ sit redamatio ex parte personæ amatæ, erit amor amicitiae.

Quod amatur amore benevolentiae, simpliciter et per se amatur; quod autem amore concupiscentiæ, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri. Unde amor benevolentiae est amor simpliciter, et amor concupiscentiæ est amor secundum quid.

Quæstio est hic de charitate habituali.]

Charitas habitualis definiri solet: « Virtus divinitus infusa, qua Deus propter se et proximus propter Deum diligitur. »

Petes 1° utrum charitas sit proprie dicta amicitia cum Deo.

Resp. Charitas est vera et proprie dicta amicitia inter Deum et hominem¹.

Prob. 1° ex Scriptura². Christus, *Joann.*, xv, 14 et 15, dicit Apostolis: *Vos amici mei estis*, et: *Jam non dicam vos servos. Vos autem dixi amicos. Jacob.*, ii, 23: *Abraham amicus Dei appellatus est. Psal.* cxxxviii, 17: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus. Nihil autem assignari potest quo homines sint Dei amici, nisi charitas.*

Prob. 2°. Ad veram et proprie dictam amicitiam tres conditiones communiter requiruntur³. Prima, quod amor sit benevolentiae, quo volumus alicui bonum propter ipsum; non concupiscentiæ, quo volumus bonum propter nos. Secunda conditio est, ut amor sit mutuus; amicus enim est amico amicus, et dicitur quasi amicus, ita ut talis amor sit quasi nexus inter duos. Tertia conditio est, quod ille amor mutuus fundetur in aliqua communicatione; qui enim in nullo communicant, nullam inter se

1. Hic q. 23, a. 1, o.—2. *Ibid.*, in arg. *Sed contra*.—3. *Ibid.*, o.

habent conjunctionem. Atqui hæ tres conditiones reperiuntur in amore charitatis. Ergo.

Prob. min. 1° Per charitatem homo diligit Deum propter se ut ultimum finem, et Deus diligit hominem propter se, non tamquam propter finem ultimum, sed propter ejus utilitatem, seu tamquam propter subjectum cui vult æternam beatitudinem, et sic utrinque est amor benevolentiae. 2° Est amor mutuus; diligimus enim per charitatem eum qui nos diligit, juxta illud *Proverb.*, viii, 17: *Ego diligentes me diligo*, et, *Joann.*, xiv, 21: *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum*. 3° Est communicatio beatitudinis hic per gratiam in jure et in spe, in patria in re. Ergo.

Petes 2° quodnam sit objectum charitatis.

Resp. 1°. Certum est Deum esse rem amatam a charitate, seu ejus objectum materiale, principale et primum, et hac ratione objectum ejus formale quod. Per charitatem enim nihil aliud intelligimus quam dilectionem Dei, juxta illud, *Matth.*, xxii, 37 et 38: *Diliges Dominum Deum tuum... Hoc est primum et maximum mandatum. Pariter certum est quod proximus sit objectum charitatis materiale secundarium; quia charitas est, ut diximus, amicitia hominis cum Deo. Lex autem amicitiae postulat ut non tantum diligamus amicum, sed etiam omnes qui ad illum specialiter pertinent. Unde illud, *ibid.*, 39: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.**

Resp. 2°. Objectum formale quo, seu ratio formalis motiva charitatis, est bonitas increata ut est in se et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis¹.

Prob. Charitas 1° est amor. Amor autem non est de alio, nisi sub ratione boni. 2° Est amor Dei. Ergo est de Deo sub ratione boni divini. 3° Est amor, non concupiscentiæ, quæ generat spem; sed benevolentiae. Ergo sub ratione boni divini, non ut nobis commodi, sed ut est in se et propter se amabilis.

1. Hic q. 23, a. 5, o et ad 2; q. 25, a. 1, o.

Dixi : « Lumine supernaturali cognoscibilis ; » quia diligere Deum propter ejus bonitatem naturali lumine cognoscibilem, esset amor naturalis, non supernaturalis, qualis est charitas.

Petes 3^o utrum eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus.

Resp. Eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus : Deus propter seipsum, proximus propter Deum¹.

Prob. Idem est specie actus quo diligatur Deus propter se, et proximus propter Deum². Ergo idem specie habitus charitatis. — Patet conseq., quia habitus specificantur ab actibus. — *Prob. ant.* Idem est specie actus qui fertur in rationem objecti et qui fertur in objectum sub tali ratione : sicut eadem est specie visio qua videtur lumen, et qua videtur color ; species enim actus sumitur ex objecto secundum rationem formalem ipsius. Atqui ratio formalis diligendi proximum Deus est ; hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit, ut illi tamquam fini ultimo hæreat, indeque Deus ametur, laudetur et glorificetur propter infinitam ejus bonitatem et perfectionem : sicque patet quod ratio formalis diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se et propter se amabilis. Ergo.

Hinc colliges 1^o quod amare proximum ex alio motivo, puta propter beneficia accepta, propter egregias ejus qualitates, sive naturales, sive supernaturales, quatenus sunt ipsius perfectiones, non sit amor charitatis ; quia sic non amatur formaliter ratione bonitatis divinæ : sed est amor naturalis. Nec refert quod forte sint qualitates supernaturales ; supernaturalitas enim ibi se habet materialiter, si ratio amandi non sit supernaturalis : sic v. g., peccator impenitens, qui per lumen fidei cognoscit paradysum, illum amat amore naturali.

Dixi : « Quatenus sunt ejus perfectiones ; » quia, si considerentur ut participationes divinæ perfectionis, videtur quod etiam sic amentur amore charitatis ; quia, licet

1. Hic q. 25, a. 1, o. — 2. Ibid.

in infinitum distent ab infinita Dei perfectione, tamen non tam ipse quam ipsa Dei perfectio in illis amatur : sicut in imagine amatur prototypus, qui est tota ratio amandi imaginem.

Hinc colliges 2^o charitatem esse unam virtutem specie atoma¹ ; quia, si ex aliquo capite divideretur in plures species, maxime ex eo quod versetur circa Deum et proximum. Atqui ex eo capite non diversificatur, ut probatum est. Ergo.

Petes 4^o quomodo charitas se habeat ad alias virtutes.

Resp. 1^o. Charitas est excellentior aliis virtutibus.

Prob. 1^o ex Apost., I Cor., XIII, 13 : *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem horum est charitas.* 2^o Fides et spes compatiuntur peccatum, charitas non. 3^o Spes et fides involvunt imperfectionem : spes proprium commodum, fides obscuritatem ; nihil horum charitas ex se.

Resp. 2^o. Sine charitate potest esse vera virtus, sed imperfecta² ; quia sine charitate potest esse bona qualitas quæ sit constanter principium boni actus, consequenter vera virtus. Sed, quia sine charitate non ordinat ad ultimum finem, neque facit operari meritorie ad vitam æternam, non est perfecta virtus. Vide tract. *de Virtutibus*, dissert. II, a. 4, § 3, ubi hanc materiam ex professo tractavimus.

Resp. 3^o. Charitas est forma aliarum virtutum, non intrinseca et essentialis, alias omnes virtutes essent ejusdem speciei ; sed extrinseca et accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem ultimum supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali.

Charitatem distingui a gratia, multis probavimus in tract. *de Gratia*, dissert. IV, a. 1, *Petes* 4^o. Adeat lector.

1. Hic q. 23, a. 5, o. — 2. Ibid., a. 7, o. — 3. Ibid., a. 8, o.

DISSERTATIO II

DE SUBJECTO, CAUSA, AUGMENTO ET
AMMISSIONE CHARITATIS

D. Thomas, q. 24.

ARTICULUS UNICUS

Petes 1^o quodnam sit subjectum charitatis.*Resp.* esse voluntatem¹, quia actus charitatis, qui est amor, elicitur a voluntate; virtus autem est in ea potentia in qua est ejus actus.*Petes* 2^o quæ sit causa efficiens charitatis.*Resp.* habitum charitatis non acquiri nostris actibus, sed a Deo infundi², juxta illud, *Rom.*, v, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ratio est, quia charitas est quædam amicitia hominis cum Deo, quæ fundatur in communicatione beatitudinis. Hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita. Ergo charitas naturæ facultatem excedit. Adde quod ejus objectum sit bonum supernaturale, et quod sit proprietas consequens ad gratiæ infusionem.Si dicas, ex actibus charitatis infusæ generari aliquem habitum dilectionis, ut docet Author, q. 17 *de Veritate*, a 1, ad 4,*Resp.* hunc habitum non esse charitatem qua sumus Dei amici et filii adoptivi, sed habitum diversæ speciei ex actibus hujus charitatis infusæ ortum, ideoque acquisitum, neque tamen naturalem absolute, hoc sensu scilicet quod per naturam causetur, sed aliquo modo supernaturalem,

1. Hic q. 24, a. 1, o. — 2. Ibid., a. 2, o.

nempe ex actibus supernaturalibus ortum. Unde, cum S. Thomas, 1^a 2^a, q. 51, a. 4, ad 3, dicit ex actibus habitus infusi non produci aliquem habitum, intelligit de habitu ejusdem speciei, prout argumentum requirebat. Ita interpretatur Sylvius.*Petes* 3^o utrum charitas possit augeri.*Resp.* charitatem viæ posse augeri sine termino¹:Sic est definitum in concilio Viennensi, Clementina *Ad nostrum* contra Beguardos et Beguinas. Item in concil. Trid., sess. vi, cap. 10: « Hoc, inquit, justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: « Da nobis, Domine, » fidei, spei et charitatis augmentum. »*Prob.* insuper 1^o ex Scriptura. *Ephes.*, iv, 15: *Veritatem facientes in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus.* *Philip.*, i, 9: *Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet.**Prob.* 2^o ratione². Ex hoc dicimur viatores, quod in terminum destinatum, qui est Deus, tendimus. Atqui de ratione viatorum est, quod ita tendere possint ad terminum, ut magis ac magis ad illum appropinquent; alioquin cessaret viæ progressus. Ergo ita possumus tendere in Deum, ut magis ac magis ad illum appropinquemus. — Subsumo. Atqui istam appropinquationem facit charitas; non enim appropinquamus Deo passibus corporis, sed affectibus mentis quibus illi unimur. Ergo charitas in hac vita potest semper augeri.*Petes* 4^o quomodo charitas augeatur.*Resp.* 1^o. Charitas non augetur extensive, sed intensive tantum³; quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa quæ sunt ex charitate diligenda. Cum enim sit amor efficax ultimi finis, scilicet Dei, habet secundum se sufficientem virtutem ad amandum cætera propter Deum. Quod si actu non extendatur ad consilia et ad bona supererogationis, non est ex defectu ipsius charitatis habi-

1. Ibid., a. 4, o, et a. 7, o.—2. Ibid., a. 4, o.—3. Ibid., a. 5, o.

tualis, sed voluntatis; quia habitibus utimur cum volumus.

Resp. 2°. Charitas non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem¹; hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri: sed per majorem radicationem in subjecto, sive per majorem actuationem subjecti, sive per majorem inhæsiorem subjecto; accidentis enim esse, est inhærere. Hæc omnia sunt unum et idem, et modo unum, modo alterum usurpat S. Thomas, dum agit de intensione qualitatum. Item sive istud *majus* dicas novum gradum, sive novum modum, est perinde ad propositum; est enim ista quæstio, de intensione qualitatum, philosophica, et ideo eam ad physicos remittimus.

[*Petes* 5° utrum charitas in hac vita possit esse perfecta.

Resp. 2°. Si perfectio charitatis sumatur ex parte diligibilis, nulla creaturæ charitas potest esse perfecta. Est enim Deus infinite diligibilis. Quælibet autem virtus creata est finita. Ergo nulla creatura potest Deum infinite diligere. Ex parte vero diligentis, est perfecta charitas quando diligit tantum quantum potest; quod tripliciter contingit: 1° Cum totum cor hominis actualiter semper fertur in Deum; et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanæ vitæ infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum. 2° Cum homo studium suum deputat ad vacandum Deo et rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit; et hæc perfectio est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. 3° Cum habitualiter aliquis totum cor suum ponit in Deo, ita ut nihil velit quod divinæ dilectioni sit contrarium; et hæc perfectio est necessaria et communis omnibus charitatem habentibus.]

Petes 6° utrum quolibet actu charitatis, etiam remisso, augeatur charitas.

1. Ibid. — 2. Ibid., a. 8, c.

Ante responsionem, suppono 1° actus nostros non causare efficienter physice augmentum charitatis, quia eadem est ratio augmenti et productionis habitus; augmentum enim est veluti continuata rei productio. Atqui actus nostri præcedentes charitatem, quantumvis ex auxilio supernaturali elicit, non producunt efficienter charitatem, ut diximus superius. Ergo.

Suppono 2° actus nostros concurrere ad augmentum charitatis dispositive, non solum moraliter seu meritorie, sed etiam physice; quia, ut jam dicebam, eadem est ratio augmenti et productionis habitus, actus autem nostri sunt dispositiones physice ad productionem gratiæ et charitatis. Utramque suppositionem probavimus in tract. *de Gratia*, dissert. VI, art. 3. Vide.

Resp. Quilibet actus charitatis, etiam remissus, sive elicited, sive imperatus, meretur de condigno augmentum charitatis¹.

Prob. 1° ex conc. Trid., sess. vi, can 32, ubi sic definit: « Si quis dixerit... justificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ...; anathema sit. » Atqui actus charitatis, etiam remissus, est bonum opus factum a justo per Dei gratiam et Christi meritum. Ergo est meritorius augmenti gratiæ, consequenter charitatis, quæ est proprietas consequens ad gratiam.

Prob. 2°. Actus charitatis, etiam remissus, habet omnes condiciones requisitas ad meritum de condigno augmenti charitatis. Ergo. — *Prob.* ant. Actus charitatis remissus est supernaturalis, ab homine grato et amico in obsequium Dei factus, et a Deo ordinatus ad præmium, siquidem actibus etiam minimis, ut calici aquæ dato in suo nomine, promittat mercedem. Hæc autem sunt conditiones meriti de condigno, ut expendimus in tract. *de Gratia*, dissert. VI, art. 1. Ergo.

Petes 7° quandonam confertur augmentum gratiæ et charitatis actibus remissis debitum.

1. Ibid., a. 6, ad 1, et alibi.

Ante responsonem, nota gratiam et charitatem considerari dupliciter : 1° in esse physico, quatenus sunt qualitates ; 2° in esse morali, prout dicunt jus ad gloriam ut mercedem.

Si dicas jus ad gloriam fundari in gratia et charitate physice sumptis, *resp.* id verum esse de jure physico et intrinseco ad gloriam ut hæreditatem, quale competit infantibus post baptismum decedentibus, non vero de jure morali et extrinseco ad gloriam ut mercedem ; illud enim fundatur in bonis operibus quæ Deus acceptat ad gloriam ut coronam et mercedem. Sicut, si filius regis regni hæres, insignibus et heroicis factis a patre propositis coronam meruisset, duplex jus ad regnum haberet : unum physicum et intrinsecum, in natiuitate fundatum, ad regnum ut hæreditatem ; alterum morale et extrinsecum, fundatum in egregiis factis, ad regnum ut coronam et præmium.

Resp. 1°. Gratia et charitas statim moraliter augentur per actus remissos, seu, quod idem est, homo per actus charitatis remissos acquirit jus novum ad augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ. Patet ex supra dictis, ubi probavimus hominem per actus remissos mereri de condigno augmentum gratiæ, charitatis et gloriæ. Meritum autem est jus ad præmium.

Resp. 2°. Gratia et charitas non statim augentur in esse physico per actus remissos.

Prob. Augmentum gratiæ et charitatis non confertur nisi juxta dispositionem subjecti. Atqui actus remissi, puta ad duo in habente charitatem ut sex, non sunt dispositiones sufficientes ad augendam physice charitatem ultra sex, cum sint tali augmento improporionati et imperfectiores ipso habitu. Ergo. — *Prob. maj.* 1° Gratia et charitas non infunduntur adultis nisi juxta dispositiones subjecti, ut probavimus, *de Gratia*, dissert. VI, art. 3. Atqui eadem est ratio augmenti et primæ productionis, ut jam diximus, cum augmentum sit veluti continuata rei productio. Ergo. 2° De spiritualibus, proportione servata, loquendum est sicut de naturalibus, nisi contrarium ex

revelatione constet ; id enim exigit suavis Dei providentia, ut de supernaturalibus disponat sicut de naturalibus quæ nobis sunt nota : alias cuilibet fas erit fingere quodlibet circa supernaturalia. Atqui effectus naturales, sive in augmento, sive in prima productione, non producuntur nisi juxta dispositiones subjecti. Ergo.

Resp. 3°. Quando justus prorumpit in actum ferventiorum, augmentum charitatis quod acquirit correspondet isti soli actui ferventiori, non actibus prioribus remissis, ita quod non sit unum præmium duplici titulo collatum. Est contra Bannem et Contensonum.

Prob. 1°. Inter meritum de condigno et præmium debet servari æqualitas. Atqui, si augmentum gratiæ et charitatis quod respondet actui intensiori idem conferatur alio titulo actibus remissis, non servatur æqualitas ; hi enim actus remissi fraudantur suo præmio. Sicut, si laborans per sex dies in vinea, mereatur quotidie viginti asses, et in fine hebdomadæ dentur tantum illi semel viginti asses pluribus titulis, fraudatur sua mercede, nec servatur æqualitas inter meritum et præmium. Ergo.

Prob. 2° ab absurdis. Ex opposita sententia sequitur 1° quod justus qui per plures annos actus remissos mille et amplius eliciisset, si non eliciat actum ferventiorum, et sic moriatur, perpetuo carebit præmio suis actibus remissis debito. 2° Sequitur quod qui innumeros actus remissos ut octo per longam vitam eliciisset, et moriendo eliciat actum intensum ut decem, inon obtineat majus præmium essenziale, quam flagitiosissimus qui in fine vite elicit actum charitatis ut decem.

Resp. 4°. Augmentum debitum actibus remissis, non confertur in hac vita, sed differtur usque ad ingressum gloriæ, seu ad primum instans glorificationis. Ita Joannes a S. Thoma, Serra, de Marinis, Gonet, etc.

Prob. prima pars. Justus nunquam est sufficienter dispositus in hac vita ad augmentum gratiæ et charitatis debitum actibus remissis. Ergo. — *Prob. ant.* Quando justus elicit actum ferventiorum, per illum disponitur ad

augmentum huic actui correspondens et simul illud meretur atque recipit. Atqui istud augmentum adæquate actui ferventiori respondet et pro solo illo datur, ac si nullus actus remissus præcessisset, ut probatum est. Ergo nulla relinquitur dispositio ad augmentum actibus remissis debitum.

Prob. secunda pars. Justus in ingressu gloriæ, seu in primo instanti glorificationis ex clara Dei visione, erumpit in actum ferventissimum tantæ intensionis, quantæ fuit meritum actuum remissorum : et cum ille actus non sit meritorius, quia non est amplius viatoris, sed tantum dispositio physica, totum augmentum huic dispositioni proportionatum correspondebit solis actibus remissis elicitis in via. Ergo.

Confirm. Actus remissi quibus homo meruit de condigno augmentum gratiæ et charitatis, non possunt fraudari suo præmio. Atqui illud recipere non possunt in hac vita, defectu dispositionis, ut probatum est. Ergo recipiunt in patria.

[Petes 8^o utrum charitas possit amitti.

Resp. affirmative, contra Calvinum, qui, damnatus a concil. Trident., renovaverat errorem Joviniani et Beguardonum ac Beguinarum jam proscriptum a concilio Viennensi, Clement. *Ad nostrum, de Hæret.*

Est de fide, ut patet ex definitione sequenti conc. Trid., sess. vi, can. 23 : « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum qui labitur et peccat nunquam vere fuisse justificatum...; anathema sit. »

Prob. 1^o ex Scriptura sacra. *Ezech.*, xviii, 26 : *Cum averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, morietur in eis.* *Galat.*, v, 4 : *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini ; a gratia excidistis.* *Rom.*, xi, 20 : *Tu fide stas : noli altum sapere, sed time.* *I Cor.*, ix, 27 : *Castigo corpus meum et in servitutum redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, in se reprobus efficiar.*

Confirm. Adam, David, S. Petrus erant justus, et tamen peccando a justitia et charitate exciderunt. Item, omnes infantes qui baptizantur, accipiunt per baptismum gratiam et charitatem. Quis dicat eos omnes nunquam a gratia et charitate peccando excidere ?

Prob. 2^o ex SS. Patribus, qui in hoc sunt unanimes. Cyprianus, *de Unitate Ecclesiæ et de Lapsis.* Tertull., *de Præscript.*, cap. 3. Ambrosius, *de Pœnitentia.* Hieron., lib. II *contra Jovinian.* Augustinus, epist. 217¹ et lib. *de Corrupt. et Gratia*, cap. 12, 13 et 14. Prosper, in *Resp. ad capitula Gallor.*, cap. 2 et 7, et alibi.

Prob. 3^o ratione². Eæ solæ formæ sunt inamissibiles, quæ replent totam capacitatem materiæ seu objecti ; quæ autem non replent totam capacitatem materiæ seu subjecti, sunt amissibiles per introductionem alterius formæ. Atqui, licet charitas patriæ repleat totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum clare visum in se et semper est in actu, ideoque inamissibilis ; charitas tamen viæ non replet totam capacitatem voluntatis, quia versatur circa summum bonum obscure tantum et imperfecte cognitum, nec semper est in actu : unde, quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere per quod charitas amittatur ex mutabilitate arbitrii. Ergo.

Obj. : Secundum Apostolum, *I Cor.*, xiii, 8, *charitas nunquam excidit.* Ergo.

Resp. Charitas comparatur hic ad fidem et spem, quæ pertinent ad conditionem viatoris. *Per fidem enim ambulamus*, et non per speciem, *II Cor.*, v, 7. *Per fidem ex parte cognoscimus...* *Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, *I Cor.*, xiii, 9 et 10. Spes item evacuabitur, adepto bono quod nunc speramus. Charitas vero, nedum evacuari debeat in patria, perficietur potius et in æternum permanebit, dummodo finaliter fuerit habita in via ; quia Deus tunc necessario diligetur ut sum-

1. Olim 107. — 2. Hic q. 24, a. 11, o.

mum bonum et inamissibiliter possidebitur. Non est ergo ad rem textus allatus.]

Petes 9^o utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas.

Resp. affirmative ¹.

Est de fide decisa in concil. Trid., sess. vi, cap. 15, his verbis : « Asserendum est, non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti. »

Probatur insuper argumentis theologicis. 1^o Per peccatum mortale, homo fit dignus morte æterna ², secundum illud, *Rom.*, vi, 23 : *Stipendia peccati mors*. Et quilibet habens charitatem est dignus vita æterna. Atqui nemo potest esse simul dignus morte æterna et vita æterna. Ergo.

2^o Unum contrarium pellitur per aliud contrarium superveniens ³. Atqui quodlibet peccatum mortale contrariatur charitati secundum propriam rationem. Charitas enim est unio amicitiae cum Deo, ut ultimo fine ; peccatum mortale est aversio a Deo, ut ultimo fine : charitas facit hominem velle diligere Deum super omnia, et se omnibus ejus præceptis subicere ; peccatum mortale præfert creaturam Deo, et violat ejus præcepta. Ergo.

Nec obstat quod actus contrarietur directe habitui, quodque ideo unus actus non destruat habitum ; id namque verum est de habitibus acquisitis, non vero de habitibus infusus, ut est charitas.

1. *Ibid.*, a. 12, o. — 2. *Ibid.*, in arg. *Sed contra*. — 3. *Ibid.*, o.

DISSERTATIO III

DE CHARITATE ERGA PROXIMUM

D. Thomas, q. 25.

Diximus dissert. I proximum esse secundarium objectum charitatis. Quæstio nunc est, qui veniant sub nomine proximi.

ARTICULUS I

Utrum homo debeat ex charitate diligere seipsum, corpus suum et peccatores ?

Dico 1^o : Homo debet seipsum diligere ex charitate ¹.

Prob. Homo debet diligere proximum sicut seipsum, *Matth.*, xix, 19. Atqui debet diligere proximum charitate. Ergo et seipsum.

Confirm. 1^o. Deus, ut infinite bonus, dignus est ut ab omnibus amore amicitiae diligatur. Ergo homo debet propter Deum hunc amorem sibi velle. Atqui hoc est se amare amore charitatis. Ergo.

Confirm. 2^o. Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis. Ergo illi sunt ex charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus. Atqui homo debet sibi velle beatitudinem. Ergo.

Dico 2^o : Homo debet ex charitate diligere corpus suum ², non solum ut id quod tamquam bonum vult amico, sed etiam ut id cui vult bonum. Ratio primæ partis est, quia corpus nostrum potest esse instrumentum bonorum operum quibus Deus honoretur. Ratio secundæ partis est, quia, licet corpus nostrum non sit capax

1. Hic q. 25, a. 4, o. — 2. *Ibid.*, a. 5, o, et ad 2.